



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

68 Dispensandi à voto causae, quae sint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

muus pluribus annis, ut strenuum, & prudentem Ducem decet, exequit, donec patria in meliorem statum redacta, ad religionem ejusdem ordinis, quam semper coluerat, ut bonum decebat Christi militem, sub priori habitu, religione, ac obedientia claustraliter cum aliis ejusdem Ordinis Fratribus vivendo, se restituit, & 65 vivit hodie. Causa ¶ autem melioris, & majoris boni, urgente necessitate, potest Papa eximere monachum à voto, & religione, ut ita exemptus uxorem ducere, & propriam patrimonium habere possit, ut declarat Covarr. in cap. 2. num. 11. in fin. de testam. & Graff. eodem cap. 31. num. 23. par. 1. lib. 2.

66 In voti dispensatione ¶ non solum requiritur spiritualis potestas, sed etiam iusta, & necessaria causa, aliàs ille, cum quo dispensatur, etiam per Papam, nunquam esset tutus, quoad Deum, gloss. in cap. non est voti, in ver. adimplere, de vot. Franc. in cap. cum singula, §. prohibemus. de præb. in. 6. Abb. in cap. extirpanda, §. si verò, numer. 43. eod. tit. Felyn. in cap. 2. numer. 19. & 20. de spons. & Graff. dicto cap. 31. numer. 27.

¶ 32. & eadem requiruntur in juramento, ¶ quia inter vinculum voti, & juramenti nulla datur differentia, ut post Ricar. in 4. dist. 38. qu. 5. art. 2. tenet Felyn. eod. n. 19. in fin.

68 Causæ ¶ justæ dispensandi à voto sunt plures, ut si materia voti sit illicita vel inutilis, cum vana opera non sint Deo grata. Quælibet causa reddens votum malum, si sit majoris boni impeditiva, ut in concionatore, qui vovit jejunare, & si votum servat, concionem ad populum habere non potest. Et si manifestum erit ex redditione voti, unum ex his sequi, videlicet, levitas in vovendo, imbecillitas voventis in exequendo, quod vovit, puta ad jejunandum vel peregrinandum, numerosa familia voventis, quæ absque notabili nocimento, domini absentiam tolerare non posset, necessitas & utilitas publica, ac etiam privata voventem non ligat S. Thom. 2. 2. qu. 88. artic. 10. Sor. de just. & jur. lib. 7. qu. 4. art. 1. & fin. Navar. in c. 12. n. 76. in fin. & nu. 77. tom. 3. & Graff. eod. cap. 31. n. 34. & 35 apud quos de votorum materia fusiùs videri potest.

D E D E C I M I S.

Cap. XII.

S V M M A R I V M.

- | | |
|--|---|
| <p>1 Decima quid sit.</p> <p>2 Decima quo jure debeantur.</p> <p>3 Testamenti veteris præcepta quædam judicialia, quædam moralia, & quædam ceremonialia.</p> <p>4 Lege Evangelica lata, præcepta judicialia, & ceremonialia cessarunt.</p> | <p>5 Moralia præcepta veteris legi vim habent, & perpetuò habebunt.</p> <p>6 Decima an de jure divino, vel positivo debeantur.</p> <p>7 Consuetudo contra jus naturale, vel divinum non præscribitur.</p> <p>8 Ecclesia, quando prædia coeperit habere.</p> |
|--|---|

Constan-